



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

LV. Eberhardus II. ab Hirnhaim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

fora h's bone

fertus & proscriptus, in Heluetia, quo ceu ad asylum confugerat, miseram animam exhalauit. Jussu Caroli V. Imp. præfedit Mauricius Colloquio, quod inter Catholicos & Sectarios institutum est anno Christi M. D. XLVI. vt non tantum orthodoxi scriptores, sed & ipse Hæreticus Schleidanus testantur. Ex quo intelligas, quantæ Mauricius auctoritatis fuerit apud Augustissimum Imperatorem Carolum V. Mortuus est Mauricius anno Redemptoris M. D. LII. cui Valentinus Rothmarus, in Annalibus Ingolstadiensis Academiae tale monumentum erexit.

*Viuat in aetherea præsul dignissimus arce,*

*Et decus & generis gloria prima sui.*

*Non pietate minor, quam fascibus ille superbus*

*Almonis Princeps, nec minor arte fuit.*

*Clara viris domus illa sacris, domus in clytæ Musis*

*Nobilis ingenis gens fuit illa bonis.*

### L V. Eberhardus.

Nobilis ab Hirnheim, Canonicus antea Eychstetensis & Præpositus Metropolitanus & Archidiaconus Salisburgensis. Electus anno M. D. LIII. Mortuus anno M. D. LX. cui Rothmariana Musa in Annalibus Academiae Ingolstadiensis hoc mnemosynon posuit:

*Nunc inter cæli vita meliore penates*

*Iure suo fruitur princeps, Diuumq; potitur*

*Aspectu, dura humana discrimina vita*

*Omnia post superata, æterna in pace repostus.*

Reformauit & in meliorem ordinem redegit Breuiarium Eystettense. Editioni præfixum est hoc ingentilitia insignita Epigramma.

CORNHA

*Cornua viuacis, domus, hæc, Hirenhamia cerui,*

*Incluta virtutum premia ferre solet.*

*Candidus hæc ambit calor, exornata recumbunt*

*In galea pariter cornua fulua fera.*

*Hæc ab auis Eberharde tuis insignia cepta,*

*Ornasti titulis, Pontificis q̄ gradu.*

*Cornigeri ut q̄, solent per secula viuere cerui,*

*Sic Eberharde tibi vitæ perennis eat.*

Huic Eberhardo muneri misit Reuerendissimus & Illustrissimus S. R. E. Cardinalis & Episcopus Augustanus Otho *Speculum Prasulis*, à R. P. Claudio Iaio vno ex decem primis Societatis IESV Patribus collectum (quod non ita pridem euulgauimus) cum hoc suo chirographo, & Auctoris Encomio. *Speculum Prasulis collectum à Reuerendo & sancto viro Claudio Iaio Societatis IESV, & mihi donatum pro xenio prima Ianuarij M. D. XLV. Huius Speculi præsentem copiam transmitto Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Eberhardo, Episcopo Eystettensi, Domino & fratri meo obseruandissimo.*

Otho Cardinalis Augustanus  
& Elyvacensis.

## LVI. Martinus.

Eberhardo successit Martinus ex nobili & peruerusta Schaumbergiorum familia, electus anno Redemptoris M. D. LX. XVII. die Iulij. Sedem tenuit triginta annos, obiit enim anno M. D. XC.

Nec scio, quis Episcopi huius vitam, mores & res gestas melius depinxerit, quàm Robertus Turnerus, vir disertissimus, partim in Oratione, quam III. Nonas Iulij in funere Martini Eychstadij dixit, Collegij Willibaldini tunc Professor & Præses, partim in epi-

X x 2

stola.